10

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

IIS QUÆ PRÆSTANT LOTIONES IN MORBIS ACUTIS.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. FRANCISCI VAN OUDENDORP,
HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ PROFESSORIS.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*,
& *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè
ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubjicit

HENRICUS TEMPEST, ANGLUS.

Ad diem 11. *Junii* 1751. *bora locoque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GERARDUM POTVLIET, 1751.

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMOQUE

VIRO

ARTIUM LIBERALIUM CULTORI

ADMODUM FIDELI

MATTHÆO ROBINSON

MORRIS,

HOUGHTONI IN COMITATU CANTII ADMIGERO,

EX CIVITATE CANTUARIENSI AD CONCILIUM

ORDINUM MAGNÆ BRITANNIÆ

DELEGATO,

NEC NON

COLLEGII SANCTÆ TRINITATIS, QUOD

CANTABRIGIÆ EST,

SOCIO

HOC IN MEDICINA SPECIMEN

EA,

QUA PAR EST,

OBSERVANTIA

D. D. D.

AUTHOR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

IIS QUÆ PRÆSTANT LOTIONES IN MORBIS ACUTIS.

Plerumque vero Alvus lotionibus ducenda eſt.
CELSUS de Med.

Inter varias humores Evacuandi methodos, quibus ſalutem ferre ægris affectat ars medica, nulla frequentioris inter Veteres fuit uſus, vel hodie magis rei medicæ eſt auxilio, quam alvi ſubductio; hoc docet inter duo medicinæ tempora ſimilitudo. Sæpe enim naturæ irritos deſidendi

conatus promovere ars ſatagit, vel ex conſilio, quæ læſura ſunt corpori, jubet expellere morboſa fluidorum indoles.

Duobus duci modis ſolet alvus: vel hauſtu purgantis medicamenti, vel infuſo per anum ejusdem naturæ Pharmaco. Prior methodus, cum plurimas, antequam deſcendat venter, excitare ſolet turbas, ſic omni periculo, præſertim in morbis acutis, haud vacat; nec quidem ſemper ei datur locus, aliquando enim adeo Angina fauces occludit, vel Phlogoſi laborat Ventriculus, ut hauriendo Pharmaco omnino impar ſit, qui ægrotat. Et ex hujusmodi in Arte anguſtiis, uſum Clysmatis mortalibus primum in mentem veniſſe, veri magis ſimile videtur, quam ex levi illa de Ave fabula, cujus meminit Plinius. De uſu igitur hujus Remedii, quaſi Indicium ſit mei, in leges Accademicas, obſequii, dicendum mihi propoſui, non ut qui in omnibus corporis affectibus ejus commoda laudare, ſed ſolum in Acutis quantum valet Clysma, inveſtigare vellem.

Si quis fabricam Inteſtinorum & actionem bene habeat perpenſa, ille, quanta ſit Enematum utilitas, ut videat, neceſſe eſt, nec quid inde ſperandum, vel quo conſilio exhibendum eſt hoc Remedium dubitandi erit cauſa. Ulteriorem etiam effectum, quam partis fert natura, per hoc Remedium nunquam molietur, cum valvula, Bauhini dicta, in Inteſtinis tenuibus omnem vetat, in parte ſaltem, ex Clysmate mutationem. Huic rei an-

annuere videtur Celſus, ubi alvum Lotonibus ducendum monet *ſi morbus majoris Inteſtini eſt quod Græci* κόλον *nominant.* (*a*) Multum quoque ex diverſa, qua componuntur, materia, lotionum effectus variant, & plurimum intereſt, an ſimpliciter Humectans ſit, vel Acris & pungens, vel etiam Aſtringens: cum Cauſæ ſemper reſpondet Effectus. Haud etiam nihili facienda eſt quorundam viſcerum cum inteſtinis vicinia; exempla ſint Hepar, Lien, Renes, Veſica, Uterus &c. cum hæc inter omnia, & inteſtina mirus eſt conſenſus: & his, ſi doleant, vix ullo remedio, quam diu protractis alvi lotionibus, citius mederi poſſumus.

Sed ut Enematis utilitates referre jam incipiam, de ſimpliciſſimo ejus effectu primum dicam, poſtea ad cætera, quæ majoris ſunt momenti, deveniam.

In Morbis inflammatoriis, quos ſemper comitatur Febris, quantus ſit mutuus ſolidorum & fluidorum nixus, quantumque exinde ſequitur Caloris augmentum, neminem credo ignorare, horumque omnium animo volventi effectus, minime convenire videbitur, ut inteſtina hoc tempore fæcibus ſint referta. Cum enim interne tanto omnia urgentur æſtu, Pars tenuior fæcum, maximeque volatilis, per venas, quæ per totum Inteſtinalis fiſtulæ tractum adeo innumeros formant plexus, cum ſummo ægri damno ſanguini ſe inſinuat; ſic peſſimam me-

(*a*) Vid. Celſ. p. 85.

mephitim per corpus diſſeminans humores adeo inficit, ut vel Spiritus olentiſſimi guſtu ſe prodat, dum nauſea maxime ingrata, nec non ſiti vix ſatiabili ægrotus cruciatur. Hoc in febribus non minus verum eſſe ex fæce Alvino, quam in Iſchuria ex Urinis, Paſſim in hiſtoriis morborum legitur. Moleſto huic, & forſan periculoſo Symptomati ut tempeſtivam feramus opem, per Infuſa eluendus eſt venter; horum materia ſit Diluens, Tepida, & quod leviter abſtergentis eſt Indolis. Sic, Romanorum ille Hippocrates, Celſus huic medelæ probe aſſentit, ubi alvi Lotionibus Medicos uti jubet *ſi ſtercoris odorem nihil dejiciens, Æger ex Spiritu ſuo ſentit.* (*a*) Et hoc certe nequaquam negligendum eſt Conſilium, miſſo enim hoc, quod nervis adeo noceat hujusmodi ſymptoma, attamen ut moleſtiam hujus Ægro defenderem, inane haud duxerim negotium. Præterea quod manet craſſi Excrementi in Inteſtinis, tenuioribus orbatum Partibus, mora & calore facillime putreſcit, & verſus morbi finem lethalis Diarrheæ inventum fuit cauſa. (*b*) Accidit etiam aliquando quod, largum poſt paſtum, vel bene epulatus homo morbo quodam illius temporis Epidemico inficiatur, omnium ante duas horas forſan ſaniſſimus: in quo Ægri ſtatu, Inteſtina ſi plurimo infarciantur ſtercore, reſpirationi, ne aggravata ſit, con-

(*a*) Vid. p. 85.
(*b*) Vid. Glaſſ. Comment. de Febr. p. 88.

conſulendum eſt. Cum enim in actu ducendi ſpiritum deſcendere debet Septum Transverſum, iis motui cedentibus quæ continet Abdomen, hinc ad hoc opus obeundum, Inteſtina ut ſatis vacua ſint, apprime conducit; in omnibus enim morbis, quibus adjuncta eſt Febris, Pulmones haud parce damnum participant, & cum tanti eſt momenti ut hoc viſcus cum Tenori naturali agat; ventrem eluendo, huic adeo nobili functioni haud injuria auxiliatur Medicus.

Nunc de hoc remedio, quoad purgandi humores vice fungitur, agendum eſt. Inventum eſt in Medicina, quod medicamenta duplici vel triplici quantitate per anum injecta Humorum Copiam, quæ potionis purgantis fere æmulatur actionem, elicient. Hoc tamen vix concedere vult C. *Friendius*, ubi vix, niſi Inteſtinis a Stercore liberandis, Clyſmata prodeſſe aſſerit (*a*). Quod ſi tam debilis eſt Effectus hujus remedii, vix tantum mali ex ejus uſu inveniſſet *Sydenhamus*, ut convaleſcentibus ex Febre Intermittente recidivam induceret. Præterea exſtat in Tulpio (*b*) Hiſtoria Virginis, quæ præ frequenti hujus remedii uſu tandem moriebatur. Hinc haud parvi facienda eſt ejus potentia, quemadmodum ex Veterum monumentis apparebit. Inter magni Hippocratis opera proſtat quidam liber, in quo ſatis acriter pharmaca purgantia in febribus exhibere prohibet; hunc

(*a*) Vid. p. 213.
(*b*) Vid. L. 1. C. 16.

hunc tamen librum maxime illegitimum cenſeri jubet doctorum opinio. De hoc igitur *Hippocratis* loco ne verbum amplius dicam: & quamvis ibi purganti potioni vicarium conſtituit Clysma, nullum ad ſuſtinendum, de Enemate quod ſentio, ſumam argumentum.

Melius certe apparebit divini ſenis conſilium, quo hoc remedium commendat, ſi methodum ejus medendi conſideramus; quo facto, eum, ſecundum regulas quas continet ſpurius iſte libellus, de quo mentionem feci, medelam inſtituiſſe conſtabit. Plurimæ enim in diverſis operum locis leguntur cautiones, quibus de purganti potione, ubi adeſt febris, dubitare monet Artis cultores; primum enim ait Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν, ὀλιγάκις καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακίῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν. (*a*) Hinc raro in acutis affectibus ducenda eſt alvus, & ſi purgandi opus ſit, hoc in initio vult fieri; cum enim Judicationum tempora accuratiſſime obſervabat, circa hæc ſalutares naturæ conatus turbare ei fuit religio. Sub certis tamen conditionibus, nempe ſi turgeat Materia, vel in morbis maxime acutis, ſecundum ejus diſciplinam purgandus eſt æger: & vel eodem die quo hoc viſum eſt. (*b*)

Si jam hos duos Aphoriſmos cum iis, quæ in Libro *de victus ratione in morbis acutis* proſtant, conferamus,

(*a*) Vid. Aphor. 24. ſect. 1.
(*b*) Vid. Aphor. 10. ſect. 4.

mus, videre licet, quod *Hippocrates* aliquando per Clysmata, potionis vice, alvum ſubducere conſuevit. Sed prius animadvertendum eſt, per has, quæ ſequuntur, voces, actionem Clysmatis eum ſemper intellexiſſe, κλύζειν nempe, quod *lavare* vertendum eſt, & ὑπάγειν λύειν, quæ *ſubducere*, *ſolvere* ſignificant: & duabus his ultimis Effectum pharmaci purgantis ſæpiſſime exprimit. His poſitis, videamus quid amplius de infuſis præcipit; en ejus verba, κοιλίην ὑπάγε κατ' ἀρχὰς κλυσμῷ, φαρμακεύε δὲ μὴ προσάγε τουτόισιν. (*a*). Hic purgationes quos in initiis morborum fieri voluit, per Clysma inſtituere jubet, nequaquam autem exhibere pharmaca. Hoc igitur clare patet, quod *Hippocrates* aliquando per Clysma alvum ſolvere ſolebat, ubi nimis fortem potionis actionem metuebat, cauſam enim reddit quare potius hic proſunt infuſa, ſcilicet ne aliter nimis commotus ſit Venter. Quod ſi turgeat Materia, tum quanto ocyus ducendum eſſe alvum ex loco citato conſtat. Quid autem turgere eſt, adhuc lis eſt inter ejus commentatores; videtur tamen eſſe aliquid moleſti primis viis inhærens, & hoc, ſi in Ventriculo & Duodeno jacet, magis apte per vomitum excutitur, ſi verſus Inteſtina craſſa ſitum eſt, facilius per Anum ei paratur exitus. In hoc caſu etiam talis Materiæ expulſionem melius per infuſa fieri *Hippocrates* videtur duxiſſe, quam exhibitis Medicamentis; in *febribus*

(*a*) Vid. de Vict. ration. in Acut. p. 399.

bribus enim, „circa præcordia ſpectandum num dolorem „ ſentiant aut in tumorem attollantur, vel obliquitatem „ vel ſatietatem habeant, vel lateris dolor affuerit, ſimul- „ que cum dolore aut tuſſicula aut tormina, aut ventris „ dolor affligant. Ubi namque, quicquam horum in „ Præcordiis adfuerit, μάλιστα λύειν τὴν κοιλίην κλυσμοῖ- „ σι. (*a*) Quicunque horum Symptomatum naturam bene conſiderat, Materiæ turgentis tot Signa hic inveniet, jubet nihilominus bonus ſenex ut hoc etiam Caſu ſolvatur alvus per infuſa.

Ex duobus his Exemplis plane mihi conſtare videtur, *Hippocratem* clysmata uſurpaſſe, non ſolum collutorii quaſi vice, quo Inteſtina elueret, ſed etiam ut iis humorum Evacuationem, quam minima cum ægri moleſtia, obtineret. Nec deſunt inter Veteres, qui hanc methodum ſicuti ſunt. In Angina enim *Aretæus* dua infundere jubet Clysmata, unum ad eluendas fæces, & dein alterum, quo alvus ſubducatur. (*b*) Hodierni quoque Medici in Appoplexia acerrimam aliquam materiam ſolent infundere, ut ſic ex Capite Inteſtina verſus deducantur humores, & per anum inveniant Exitum. Per hoc tamen remedium tanta certe evacuari nequit humorum Copia, verum omnino ineptum Purgationi eſſe Enema, negat Experientia, cum tantum mali ex ſiniſtro ejus uſu vidit *Sydenhamus*.

Sed

(*a*) Vid. de Vict. ration. in Acut. 400.
(*b*) Vid. pag. 87.

Sed quare Potionibus clysmata ſubſtituit *Hippocrates* reſtat exquirendum. In Febribus, cæteriſque morbis acutis ſemper fuit anxius Medicorum ille Princeps, ne ullis Artis auxiliis corpus nimis eſſet turbatum, hinc ægris hoc tempore medicamenta propinare metuebat. Levis certe febricula fere ſemper comitatur purgandi actionem; ſi hoc venit ex humorum motu, quia deorſum quaſi rapiuntur, vel quia particula Pharmaci ſubtiliori irritantur vaſa, difficile eſt dictu. Certo ſcimus quod medicamenta quædam fortiora ſanguini ſe immiſcent, cum exſtat exemplum infantis, Nutricis lacte, quæ Pharmacum aſſumpſerat, purgati, nec non Pulſus momentum his adeo auctum hoc videtur monſtrare. Lenia tamen iſta Purgantia Eccoprotica dicta, ſi vaſa intrant ſanguinea, in dubio eſt, niſi forſan Rhabarbari effectum aſpiciamus, hoc enim mutato urinæ colore ſemper ſe prodit, quod cum de cæteris dici nequit Eccoproticis, rem ulterius non datur proſequi. Sed miſſum hoc de febriculâ argumentum faciam, neque enim ob hanc rem ſolam in morbis acutis periculum fert Purgatio; alter enim eſt effectus Purgantium, multoque altioris momenti, nempe Flatus; Hos valde noxios in febribus duxiſſe *Hippocratem* inde patet, quod in *libro de victus ratione in morbis acutis* maxime in eligendis Medicamentis eſt anxius, ne ea exhiberet forſan, quæ generandis flatibus eſſent apta; ſic vini quandam ſpeciem, & alia etiam, quibus mos fuit ventrem ducere, in febribus

ne hauriantur monet. (*a*) Haud mirum eſt igitur ſi potiones purgantes propinare ægris metuebat, præſertim Scamonium, cujus tam frequens fuit uſus inter Veteres; nec quidem ea, quæ hodie in febribus prodeſſe dicuntur, qualia ſunt Tamarindi, Cremor Tartari, Caſſia &c. hoc incommodo omnino carent, omnia enim quæ alvum ſolvunt, oleo forſan excepto, gignendis flatibus ſunt idonea; & his certe nullum deterius eſt Symptoma, humorum enim per Viſcera abdominalia circuitum peſſime impediunt, qui, in his affectibus ut ſit expeditiſſimus, convenit, unde humores in Caput regurgitant ſummo cum frangendi ſua vaſa periculo.

Ex his quas memoravi Cauſis anceps valde videtur Purgantium actio ubicunque adeſt febris; cui regulæ etiam aſſentire videtur Celſus; (*b*) non tamen in febribus omnino negligendum eſt ſalutare hoc Remedium, nam aliquando, omnino eſt neceſſarium: ſed caute adhibendum ſentio, & ubi dubia videtur Indicatio, melius fert Ratio ut acriori quodam Enemate, & ei vicario, ſolvatur alvus. Nec in hac re quidem fiduciam ſumere debent Medici, quod Cl. Freindius in ſecunda Variolarum Febre optimum talis medelæ ſucceſſum vidit; longe enim diſtat talis morbi ſtatus ab aliis febribus, vel etiam a prima Variolarum febre, cum iſta materies, in Puſtulis contenta, jam cocta eſt, & vi primæ febris fuit ſubacta;

(*a*) Vid. de Victus ration. in Acut. p. 392.
(*b*) Vid. pag. 84.

acta; atque ſecundus iſte morbi impetus, nihil eſt niſi febris ſumme hectica, ob reſorptum purem, obſtructo ſimul Tranſpiratione: differt igitur ab aliis acutis morbis quantum Empyecus a Pleuritico, Materia Cocta ex non Cocta. Sed quod Materiam Coctam evacuare convenit, in ore omnibus eſt Artis Medicæ cultoribus.

Præter Enematis effectus, de quibus jam actum eſt, altera venit contemplanda ejus poteſtas, qua nempe derivando humores pollet; & hoc ſcopo non rarius adhibetur Clysma quam aliis. Ut huic rei inſerviat, vulgo conſtituunt ejus materiam talia quæ levem habent Stimulum, liquore multo tepido & molli dilutum, ſub qua conditione duplex fit ejus Effectus. Unicuique patet quanta vaſculorum multitudine ſcatent Inteſtina, qui vel minimam horum partem cerâ repletam ſemel viderit, hinc neque actio hujusmodi liquoris, Inteſtina ſi ſubeat, ut eum lateat poſſibile eſt. Si enim ſtimulo irritatur quævis corporis pars, ibi majori copia deducuntur humores, cujus rei in cute Ambuſtio, vel Emplaſtra veſicatoria nobis præbent exemplum; quod ſi tepida una adſit humiditas, altera naſcitur derivationis cauſa: vaſa enim corporis quod humido calori facile cedere, & ſic diſtendi poſſunt, oſtendunt lavatrices, quarum manus, donec Naturam æmulatur Conſuetudo, adeo tument, ut ulteriorem diſtenſionem non patietur cutis, quin crepat.

Cum igitur Inteſtinorum vaſa in contractiones cogun-

guntur frequentiores, & alterne majora fiunt eorum foramina, neceſſe eſt, ut majorem fluidorum molem poſſint continere, hinc ex ſuperioribus corporis partibus, Inteſtinalem verſus fiſtulam, ſolito copioſior humorum fit deſcenſus. Ob hanc rem ornando corpori haud paulum hodie prodeſt Clysma, Fæminæ enim (præſertim Gallicæ) formæ Venuſtati adeo incumbentes, ut candorem Vultus lucidiorem efficiant, Enema ante ſolent injicere, quam in cœtus muliebres ſe conferunt. Hæc deducendi humores ad inferiora methodus Clysmatis maximam conſtituit utilitatem, & huic operi ut inſerviat ſæpius adhibetur, quam ullo alio. Nam in Delirio febrili vel Phrenitide, ubi Cerebri vaſcula, morbo verſus Caput præcipue vergente, adeo tument, ut ne frangantur ſummum ſit periculum, haud parva huic Remedio eſt fides, cum tam directe contra mali cauſam ſe opponere videtur. Ad fuganda talia in Morbis incommoda, maximum in arte virum *Sydenhamum* hoc Remedium ſummo cum ſucceſſu uſurpaſſe legimus; (*a*) ſed tamen ex artis Theoria Eventum minus bene explicuit, cum refrigerio, quod ſanguini inducit Clysmatis materia, rem videtur tribuiſſe: melius igitur ex Celſo hujus rei quærenda eſt cauſa, ubi Clysmatis Effectum ſic vult fieri. *Fereque eo modo dempta materia, ſuperioribus partibus levatis, morbum ipſum mollit.* (*b*)

Ne-

(*a*) Vid. pag. 59.
(*b*) Vid. p. 86.

Neque alteram neceſſe eſt aſſignari cauſam quare ægrotis aliquando adeo nocet hujus Remedii abuſus, utpote quod ſummam infert debilitatem, ſi *Sydenhamus* quæ obſervavit fidem inveniunt: hoc etiam ex hodierna de Spiritibus animalibus diſciplina, facillimum eſt explicatu.

Talibus ut ducatur alvus lotionibus, in quibusdam morbis, non modo eſt neceſſitas, ſed aliquando vel ſolum fit Remedium quo uti Medicus non dubitet; in Febribus enim ſæpe accidit, quod poſt largos ſanguinis detractiones, & ſatis tenuem victus rationem, morbus tamen haud multum violentiam ſuam remiſit, in quo caſu, quid fecerunt maximi in Arte viri, pretium eſt videre. *Hippocrates*, ubi Venam amplius ſecari res prohibet, ſequenti monitu Clysma ſuadet infundere Ἢν δὲ ἀσθενέστεροι Φαίνωνται, ἢν καὶ πλέον τοῦ αἵματος ἀφέλῃς, κλυσμῷ κατὰ τὴν κοιλίην χρέεσθαι διὰ τρίτης ἡμέρης. (*a*) Sic divinus ſenex huic Remedio viam ſtruxit, & in Medicina locum haud infimum ei conceſſit; ſed an cultores ejus hanc ſecuti ſunt regulam dignum eſt exquiſitu. *Celſus*, veſtigia magiſtri haud remiſſe premens, ſequentem inter cæteras Enematis Indicationes poſuit. *Aut ſi ſanguinem mitti cum opus ſit vires non patiuntur, tempusque ejus rei Præteriit.* (*b*) Sic lubenter iis, quæ imperat Græcus Artis Parens, aſſentit Romanus, & hoc Reme-

(*a*) Vid. de vict. Eat. in Acut. p. 396.
(*b*) Vid. p. 85.

medium eodem omnino Morbi tempore uſurpandum cenſet. *Sydenhamus* etiam in febribus continuis, præſertim in iis, quæ intermittentes Autumnales excipere ſolebant, cum V. S. & Medicinas Purgantes ſiniſtrum habere eventum vidiſſet, ſemper per Alvi lotiones talibus medelam inſtituebat. (*a*)

Sed cum ea, quæ alvum ſubeunt, tam prope ad plurima Abdominis viſcera accedunt, & cum tantus ubique vaſorum reſorbentium proſtat numerus, nec non vaſa Meſenterii & lactea ingredi poſſit Enematis materies, hac methodo igitur optime diluere datur ſanguinem, ad Hepar & alia Viſcera tranſiturum; ſic ſumma cum utilitate laxantur vaſa, quæ tot numero jacent in confinio Inteſtini Coli. Sed in febribus haud raro accidit, quod cum plurimum jam potus diluentis hauſerit ægrotus, per vias Urinæ omnem immutatum fere reddit, & hoc certe ſanguinis tranſitum per vaſa valde impediri indicat, & peſſimum certe eſt ominis, cum tantam in particulis ejus cohærentiam exinde adeſſe diſcimus, ut omnino dilui nequeat. Quantum tamen in hujuſmodi caſu ſperare licet Medico ex tepido liquore in Inteſtinis diu retento, ex eo videmus, quod viſum fuit Enema per veſicam tranſire, cujus rei exemplum habet *Baglivius.* (*b*) Ubicunque etiam laborant Renes, ex alvi Lotionibus præcipue petendum eſt ſolatium; his enim incumbant fere

In-

(*a*) Vid. pag. 60.
(*b*) Vid. Prax. Med. L. 1.

Inteſtina craſſa, & per horum tunicas fotum recipere apti ſunt, cum inciſa docent cadavera quantus ſemper prodit ex Inteſtinis halitus, quem per vaſa inhalantia partes adjacentes, ſed præſertim Renes, ſumma cum utilitate recipiunt. Hinc tantus eſt Clyſmatis uſus in Calculo hujus viſceris, & ubi adeſt Phlogoſis; quod ſi materies calculoſa jam ex rene ſoluta eſt, quo tempore ut facile per Ureteres deſcendat ferendum eſt auxilium, omni alio Palmam præripit hoc Remedium, hujus enim fotu laxati Ureteres, expeditum calculo dant tranſitum, & acutis ejus angulis cedens Ureteris membrana aciem eorum eludit.

Etſi tamen tanta ex Alvi lotionibus ſunt commoda, hæ tamen, morborum Stadiis nec non Acceſſionibus oportet ut pareant, ne quæ alio tempore ægro multum prodeſſent, ſi jam exhibeantur ſint exitio. In Acutorum initiis, ubi turget Materia, vel ut humores ex ſuperioribus partibus ſubducantur vult morbi genium, Clyſma paulo acrius ſummi eſſe uſus ex *Hippocratis* diſciplina antea oſtendi; & hoc præcipue ubi vis morbi Pharmacum per oſs exhibere vetat. *Celſus* autem, de hoc Remedio agens, vix ante diem tertium covenire monet; (*a*) Nec mirum, cum hoc de acrioribus intelligi debet, quorum Actio ſatis vehemens eſt, & turbæ, quas adferunt, haud leniter Corpus fatigant. Hinc hujuſmodi Infuſis

(*a*) Vid. pag. 85.

fuſis haud temere Alvus ſollicitanda eſt. Quædam porro ſunt Febres, quæ certis diebus fortius impetum faciunt, *Remittentes* dictæ, in quarum Acceſſionibus peſſime nonnunquam periclitantur Ægroti; in his ubi adſunt acceſſiones, Enematis uſum ſic vetat *Celſus*, *Neve in ipſo Acceſſionis impetu, quia quod tum infuſum eſt alvo continetur, regeſtumque in Caput, multo gravius periculum efficit.* (*a*) Conſtat equidem, ubi ita res ſe habet, vix concedendum eſſe tale Remedium, cum facile per Vaſa Lactea in ſanguinem viam ſibi faceret, unde cum ſtimulum habet, qua conficitur, materia, haud inepte dici poteſt quod inde Febris novas vires poſſet acquirere.

Neque etiam lenia iſta, ex materia molli confecta, omni Febris tempore licet infundere. *Hippocrates* poſtquam ſanguinem detraxiſſet, aliiſque idoneis remediis morbum compeſcere fuiſſet conatus, hujuſmodi lotionem tertio quoque die infundi imperabat; (*b*) & *Sydenhamus* die a V. S. libera his uti conſuevit, & poſtea alternis diebus, vel tertia quoque die, reſpiciendo ad morbi impetum, his curam molitus eſt. Magnus ille medicus hoc remedium ſæpius uſurpari nolit, ne febrilis impetus nimis langueſceret, & ægrotus Criſi ferendo omnino impar evaderet. In quibuſdam tamen Conſtitutionibus,

(*a*) Vid. pag. 86.
(*b*) Vid. de Vict. Ration. in Acut. p. 396.

nibus, ubi morbus præcipue caput aggredi videbatur, ſæpius Lotionibus alvum duci jubet.

Poſt aliquot dies, in Acutis Affectibus, ſecundum morbi impetum, Criticum morbificæ Materiæ Evacuationem expectant Medici. Hunc ſuperne vel inferne efficere conatur Natura, vel per Corporis ambitum. In hoc Stadio non temere infundi debent Lotiones; ſi enim ex partibus ſuperioribus Judicationem futuram eſſe conſtat, ne his opus impediatur periculum eſt. Hinc monet *Hippocrates*, ubi ſputa incipiunt prodire, ne infuſis venter nimis ducatur, cum inde exſiccantur Pulmones, & coctæ Materiæ ceſſat excretio. (*a*) Idem etiam de Hæmorrhagia verum eſt, & *Sydenhamus* uſum Clysmatis vel leniſſimi in Pſyalismo Varioloſo acriter increpat. (*b*) Quod ſi per Alvum, vel Urinas futuram Evacuationem prænuntiant Criſis Signa, nihil, quam Enema, majori cum ſpe ſalutis exhiberi poteſt. Nec minus locum habet ubi Catamenia, vel fluxum Hæmorrhoidalem ciere convenit; hoc enim ſæpiſſime efficiunt Medici, dum Uterum & Inteſtinum Rectum quaſi in Balneo ponuntur, unde relaxata vaſorum ora facile debitum reddunt fluxum.

Poſt partum mulieribus ut rite fluant Lochia, Sanitati quantum conducit quotidie experiuntur qui medicinam exercent. Accidit tamen per frigus intempeſtive ad-

(*a*) Vid. de Morb. L. 3. p. 493.
(*b*) Vid. pag. 169.

admiſſum, vel ſiniſtrum eorum uſum, quæ aſtringunt, ut iſte fluxus adeo neceſſarius ſiſtatur, unde peſſimæ ſequuntur Febres, Deliriis, & ſimilibus ſignis ſtipatæ, quæ non ante ceſſant, quam reſtituatur hæc evacuatio. Ad hoc opus laudantur medicamenta ex effectu *Uterina* dicta; talia ſunt herbæ quæ Aromate ſunt divites, & ob multum ſalem, quem continent Volatilem, attenuando nec non calefaciendo præſtant. Talia in hoc caſu valde periculoſa inveniet, quicunque, quid ſit Febris, bene callet. Quid igitur reſtat faciendum? Sanguinem Puerperæ detrahere, niſi in re valde ardua, omnibus eſt religio, & quæ ſtimulant, ea Febri vires datura eſſe conſtat: humores igitur verſus uteri regionem derivandi ſunt, quod per Enemata optime fieri diximus, ubi de deducendis Catameniis egimus; ſic enim laxando vaſa ad debitum exitum facile allicere poſſumus Lochia; unde ubi ita obſtruuntur, quæ fluere debent, hoc remedium haud inepte vocatur in auxilium. *Sydenhamus* in Lochiorum ſuppreſſione ſemel injici vult Clyſma, & niſi ſtatim ſequatur fluxus, ab ulteriori ejus uſu abſtinendum putat: cum una vice infuſum humores leniter ſollicitando, ut fluant, efficere poteſt, plura vero eadem alio divertant. (*a*) Si hoc ex Obſervatione dixit, nihil eſt quod negem, Theoriæ autem minus videtur reſpondere; ergo melius hujus rei hoc cauſam eſſe ſtatuimus, ſcilicet, quod puerperæ deficientibus Lochiis

Paſ-

(*a*) Vid. p. 423.

Paſſioni Hyſterico maxime ſunt obnoxiæ, & iſte morbus, quantum omnes impedit corporis fluxus, ignorat nemo; obſervavit præterea *Sydenhamus* Clysmata huic Paſſioni valde nocere; (*a*) ex hoc igitur videtur venire, quare tam parvam ex Enemate medelæ ſpem habuit. Nihilominus tamen per hoc remedium ad recipienda Medicamenta calida & Uterina optime paratur corpus, cum laxando vaſa verſus partem, ubi debent exire, hac methodo facile deducuntur humores.

Finitis jam iis quæ in Morbis acutis efficiunt Lotiones, ſaltem quoad generaliter in talibus ſanandis habent virtutem, nunc de iſtis Affectibus dicemus, qui ſolatium in ipſo quaſi Morbi Loco exinde poſſunt accipere. Per hoc intelligo Morbos qui Inteſtinorum Cavitatem præcipue occupant, & quibus ſi hic adſint directe ſub forma Clysmatum Medicina poteſt fieri. Ignorat nemo tales ſæpiſſime corpus vexare, pro titulo habentes *Inflammationem*, *Choleram*, *Diarrhœam*, *Dyſenteriam*, *Volvulum* &c.

Primum igitur ut de Inflammatione Inteſtinorum dicam: dolendum certe eſt quod in hoc morbo Enema Spem Medici tam miſere eludit, & cum ſitus Morbi Medelam, in ſede fere mali, promittit, partis tamen Natura & Functio vaniſſimum reddit hoc conſilium. Si externa corporis phlogoſi laborent, ubi manibus datur acceſſus, quæ

(*a*) Vid. p. 245.

quæ acria ſunt, & attenuant, imponere ſolent Medici, ut inde Reſolutionem mali obtineant; quam audax verum eſt medendi ratio quæ talia infundere imperat, ubi phlogoſi dolet ſenſilis adeo Inteſtinorum membrana! His enim laceſſita eorum tunica, augetur motus eorum *vermicularis* dictus, & morbus inde vires novas acquirit; tantum abeſt ut huic Remedio obtemperet.

Idem etiam evenit in doloribus Colicis, ubi ad expellendos Flatus & ſolvendas membranarum ſtricturas, *Carminantia* ex ſpe effectus, ſic dicta, Medicamenta injiciuntur; hoc enim ſæpe factum eſt ſummo cum Ægrotantium damno, quia Spasmi, quos ſolvere Medici eſt officium, horum ſtimulo fortiores evadunt, unde ſubito dolorum augmento Remedii ſe prodit fallacia. Sic in Conſtitutione quadam Epidemica, Colicis doloribus feraciſſima, obſervavit *Sydenhamus* quod talia, ſi infuſa erant, morbum ſanatu difficiliorem efficiebant. (*a*)

In hujusmodi igitur affectibus, ubi jam adeſt Inflammatio, vel futuram minantur ſpasmi, ſolutionem mali per acria, ob cauſas ante memoratas, minime tentandam eſſe cenſeo; in iis autem, quæ molliunt, & laxant, huic Morbo medendi ponenda eſt ſpes. Talibus enim periculoſi cito cedunt ſpasmi, obtunditur quod acre eſt, laxantur tenſæ vaſorum fibræ, & tepido liquore, qui ſtagnat, cruor diluitur. Sic præbet auxilium in hoc

(*a* Vid. p. 210.

hoc caſu leniens Enema, & præſertim felici pollet effectu ſi ſedantis tantulum adgungatur pharmaci, quo ſopiantur Spirituum Tumultus, qui his affectubus tanto ſunt detrimento.

Quod ſi Morbum terminet *Abceſſus*, forſan ad rem foret, ſi blande ſtimulantibus ubi maturum eſſe adſunt ſigna, ſedem ejus conemur laceſſere, ut rupto Clauſtro, Materia purulenta per anum exeat; cavendo tamen ab omnibus quæ aſtringunt, ne Abdominis verſus cavitatem fiat ruptio, quod certe minime exoptandum eſt. Hoc facto ea, quæ ad detergendum & conſolidandum ſunt apta, injicere ſuadet mali natura, unde ulcus ad cicatricem optime deducatur. Præcipue autem hic vitanda ſunt quæ irritant, talia enim ad motus, præter ſolitum, hæc loca concitant, & ne rite firmetur vulnus moras injiciunt.

Cum vero *Schirrum* naſci indicant ægroti Symptomata, tum vix amplius locum habent Enemata. In his enim rerum anguſtiis anceps eſt omne quod tentat Medicina; & ſi quis hujus Affectionis naturam prorſus calleat, melius per Victus Rationem, quam per Remedia ad locum, hoc malum debellandum exiſtimabit. Si autem acutiſſima in Inteſtino tormina hunc in *Carcinoma* degeneraſſe docent, denuo ad auxilium vocandæ ſunt Lotiones; Emollientia, leviter oleoſa, & quæ aſſopiendi virtute pollent res poſtulat, quibus ſtillantis Ichoris obtundatur acrimonia, & ſedatur, hic major omni Pa-

tientia, dolor. Quamvis enim inevitabilis inſtat Pernicies, & Ars, huic morbo quod par ſit, nondum invenit Remedium, Medici tamen eſt, morbi, quem ſanare non datur, ut ſaltem moliatur lenimen.

Diarrhæa, *Dyſenteria*, & *Cholera*, cum plurima inter ſe habent ſimilia, de his una eademque vice dicam. In his omnibus Acrimoniam acidam vel alcalinam culpant authores, quæ vi rodente Inteſtinorum tunicas vellicat, unde oriuntur Alvi profluvia ſæpe cum febre violentiſſima. Hinc in talibus affectionibus diluentes laudantur Lotiones, quibus miſta Materies Peccans vires perdat, & tandem eluatur; nec minus Mucoſa quæ ſunt, & blanda, & oleum continent, obtundendæ enim acrimoniæ hæc ſunt idonea; nec non Muci Inteſtinalis, nimio deſidendi conatu ſæpe abraſi locum ſupplent. Talia in uſu fuerunt apud *Sydenhamum*, qui eorum utilitates admodum commendat. Conſtat veruntamen humores acres nequaquam ſolam horum affectuum eſſe Cauſam, cum docet Experientia eam medendi rationem quæ contra Acrimoniam inſtituitur, his ſæpe plurimum nocere; & deinde vix aliud Remedium, niſi Opium, eſſe adjuvamini; Et hoc obſervavit idem Author. Hujusmodi ubi accidunt Symptomata nervorum Syſtema male ordinatum indicant: per ſedantia igitur, quæ infunduntur, his inſtruenda eſt Medela: omnia enim Clysmata, vel ex Materia leniſſima, ubi ſpirituum adeſt ἀτάξια, ſi *C. Sydenhamo* credendum eſt, morbum in deterius mutant.

Sed

Sed in Diarrhæa commendant quidam authores aſtringentia & ſummas utilitates ex tali lotione ſe vidiſſe ajunt; & hanc rem perpendere forſan minus erit abſurdum. Si Morbi cauſa ſit acris humor, via Inteſtinorum ſe evacuans, quorſum evadet ea infundere quæ aſtringunt? Hoc enim facto conſtrictis Inteſtinorum vaſculis, humor iſte vel prorſus ſtagnabit, poſtea ibi acturus tragædias, vel majori cum moleſtia paulatim effluet, unde fient tormina, vel ſanguine receptus ad alias corporis partes morbum transferet. Ne unum quidem horum ſanitati conducit; hinc quæ aſtringunt in hoc caſu vix exhibenda ſunt, niſi fortaſſe illis, quos diu exercuit cita alvus, unde natura, paulo diutius operi inſiſtens, eorum quæ ſana ſunt *Hypercatharſin* ex Conſuetudine patiatur. Talis videtur fuiſſe Caſus, ubi poſt Febres aſtringentia infundere ſuadet *Sydenhamus.* (*a*)

Eſt Volvulus quoque Morbus quo vix alius periculo magis ſcatet. In hoc tam periculoſo affectu tam miris ſæpe modis in ſeſe vertuntur Inteſtina, ut motus eorum *vermicularis* dictus, prorſus mutetur, & retro ventriculum verſus, quæ continent rejiciantur. Hinc ſtupenda illa ab Authoribus effata Symptomata, quorum maxima pars vix fidem invenit; ſic fæces alvinas, Lotionum Materiam, immo etiam Glandes ſuppoſitorios per oſs ejectos legimus. In hoc affectu ſi quis Inteſtinorum motum

(*a*) Vid. p. 74.

motum naturalem noverit reſtituere, metam attigit. Ad quod efficiendum Medicamenta, quæ acredine ſtimulant, infundere artis eſt regula; & hæc paulatim, donec ad acerrima perventum eſt, & ad hoc opus Nicotianæ fumum *Sydenhamo* inſerviiſſe legimus.

Ad ſanandas etiam *Aphthas* commode uſurpari poſſet Enema, ſed cum illæ in Inteſtinis craſſis nondum fuerunt inventæ, hinc earum curationem non aliter Lotiones promovent, niſi quod humorum augent deſcenſum. Et jam omnia quæ efficiunt Clysmata in morbis acutis me memoraſſe credo, itaque de iis ne verbum amplius proferam, niſi quod eorum plorem miſeriam, qui, occludente fauces Angina, Alimenta hoc modo coguntur ſumere.

F I N I S.